

**Tentamen medicum inaugurale, de diabete ... / Eruditorum examini subicit
Alexander Marcet.**

Contributors

Marcet, Alexander, 1770-1822.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Typis Georgii Mudii et filii, 1797.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kb49qp5q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

D I A B E T E.

TESTAMEN M O D I C U M

IN

1848

ANNIVERSARIO

DE

TESTAMEN M O D I C U M

IN

DE

1848

DE

DE

DE

DE

DE

13

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,

DE

D I A B E T E :

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER MARCET, A. M.

GENEVENSIS;

REG. SOCIET. MED. EDIN. SOC.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1797.

FRANCIS ANDERSON M.D.

PHYSICIAN

DANIEL RUTHERFORD M.D.

D.I.A.B.E.T.E.S.

ANNETTE BUNN M.D.

LE ASSOCIATE PHYSICIAN

D. GEORGE BARR M.D.

PHYSICIAN

DR. GEORGE BARR M.D.
PHYSICIAN

DR. GEORGE BARR M.D.
PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

ALEXANDER MARRIOTT M.D.

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

DANIELI RUTHERFORD, M. D.

BOTANICES

IN ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI,

HOC OPUSCULUM,

GRATO ANIMO

SACRUM VULT

AUCTOR.

DANIEL RUTHERFORD, M. D.

PETRO PAVLOV

BOTANICAL

AND PHYSIOLOGICAL

IN ACADEMIA

PROFESSOR

OF BOTANY

GRATO ANIMO

AND DISSENT

SACRUM VULT

ANNO 1880

AUCTOR.

LEIPZIG

1880

ACTOR

NECNON

PETRO PREVOST,

SORORIS CONJUGI ET AMICO DILECTO,

ACADEMIÆ GENEVENŒSIS

RECTORI

ET

PHILOSOPHIÆ

PROFESSORI,

HANC DISSERTATIONEM

AMORIS ATQUE OBSEVANTIÆ

TESTIMONIUM

OFFERT

AUCTOR.

CORRIGENDA.

- § VII. 4. *pro* aucta cibi, &c. *lege* aucta fitis, et aucta cibi &c.
Ibid. 16. *pro* vigint, *lege* viginti.
XV. 11. *pro* exhibuerat, *lege* exhibuisset.
XXVI. 1. *pro* quandem, *lege* quamdam.
XXXV. 4. *pro* vegetalis, *lege* vegetabilis.
XLII. 3. *pro* (xxxvi.) *lege* (vii.)
XLIX. 7. *pro* vegetalis, *lege* vegetabilis.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

DIABETE.

ALEXANDRO MARCET, AUCTORE.

§ I. **C**HEMIA, nuperrimè tantum, in physiologicam investigationem, felici ullo successu introduci potuit. Utilissima hæc scientia, empirico tantum et quasi cæco auxilio medicinam olim adjuvabat, et theoria ad nova experimenta suscitanda nihil ferè conferebat. Quantùm verò, his diebus, lucis ac utilitatis medicina a chemicis indagationibus accipere possit, morbus de quo in hoc tentamine agitur, insigne exemplum præbere mihi videtur.

DE MORBI DEFINITIONE.

II. Infolita urinæ profufio pro generico hujus morbi figno plerumque habita eft. Antiqui, et Aretæus imprimis, melius forfan quam hodierni, ejuſdem morbi ſymptomata planè noverunt et deſcripferunt, ſed naturam et mutationem urinæ, eis omninò ignotam fuiſſe videtur. Hæ mutationes, et præfertim dulcedo, primò a Willis detectæ funt, et ab hujus tempore, in Diabete sæpiſſimè obſervatæ.

III. Morbi verò a Culleno *Inſipidi Diabetis* dicti, exiſtentia, credo, ab omnibus agnoſcitur. Ego ipſe inſigne hujus morbi exemplum in Edinenſi noſocomio regio, non multùm ab hinc vidi*. Sed utrum mellitus et inſipidus Diabeteſ, uno ac eodem genere comprehendendi debeant, adhuc

* Vid. Doctõris Gregory Clinicum Diarium menſe Novembri 1795. Atque etiam Doctõris Rutherford, menſe Mart. 1796.

adhuc forsan dubitandum. Infipidum enim Diabeten, morbum quasi localem tantum et organicum, mellitum verò quasi morbum totius systematis, considerandum esse videtur. Urinam nempe in diabete infipido, copiâ quidem, sed non chemicis qualitatibus, a naturali urinâ differre apparet, et illius constitutentia non dissimilia esse videntur, sed majori tantum aquæ quantitate diluta, qualis utique accidit in profusionibus urinæ hysteris et in pluribus aliis morbis.

IV. Nonnulli tamen, claro Dobson duce, infipidum et mellitum diabeten quasi varios gradus unius et ejusdem morbi consideraverunt; et quidam etiam alterum in alium nonnunquam converti posse putaverunt*. Alii contra infipidum, morbum symptomaticum tantum, et omninò a mellito, et naturâ, et causis diversum esse rati sunt †.

V.

* Doct. Gregory in suis Prælectionibus de Medicinâ Practicâ.

† Doct. Rutherford in suis Clinicis Prælectionibus.

V. De hac controversiâ judicare me parùm deceret. Sed sacchari præsentia, signum valdè notabile, et quo diabetes mellitus ab omni alio morbo facilè discerni potest, præbere mihi videtur. Mellitum igitur sequentibus verbis cum celeberr. Home definirem.

DIABETES.

“ Urina aucta et subdulcis ; fitis perpetua ;
 “ cutis arida et plerumque squamosa.”

Insipidum verò ab isto genere omninò ejicere vellem.

De Diabete mellito potissimùm hac in dissertatione verba facere animus est.

HISTORIA.

VI. Priusquam historiam hujus morbi, exponere aggrediar, observandum venit, hunc, his in diebus, frequentius quam in remotioribus ætatibus, occurrere videri. Curiosæ verò istius observationis

observationis, nullæ nisi omninò conjecturales causæ assignari possunt. Sed qualescumque eæ causæ sint, diabetem in Britannia frequentiore[m] quam in aliis Europæ regionibus esse, satis probabile mihi videtur. Ille enim morbus a Britannicis solis ferè scriptoribus, in hodiernis temporibus descriptus et investigatus est. Quinque confirmati diabetis melliti exempla, intra hos duos annos in nosocomio regio Edinensi, ego ipse vidi; idem verò morbus tam rarus in quibusdam Continentis locis esse videtur, ut Doctor Odier, vir clarus, Genevensis medicus, in re medica pluribus scriptis notus, olimque hujus almæ Universitatis alumnus, se nullum diabetis idiopathici exemplum unquam vidisse, literis me certiore[m] nuperrimè fecerit.

VII. Morbus plerumque tam lente et gradatim accedit ut nonnunquam longum tempus subesse possit sine ulla evidente totius systematis perturbatione. Haud rarò quidem, aucta cibi appetitio, sola sunt per longum tempus notabilia

tabilia signa, et quantitas urinæ, quæ præter consuetudinem excernitur, præternaturali potus copiæ, ab ægrotante tribuitur. Sed quantitate urinæ, desiderioque potus, ex æquo indefinenter incrementibus, os gradatim magis magisque siccum evadit, siti etiam ex æquo augente. Saliva est albida, viscida et spumosa, et ægrotus ad eam spuendam admodum proclivis. Quantitas urinæ nunc enormis et vix credibilis evadit, ingesta nonnunquam longè superans, et, 20, 30, 40, ampliusve libras, intra horas viginti quatuor, haud rarò æquans.

VIII. Prout fitis ac cibi appetitio augeantur, calor præter consuetudinem magnus circa præcordia, et in visceribus abdominis sentiri incipit, doloribus circa regionem lumborum sæpe comitantibus. Cutis interea quam maximè arefcit et contrahitur, ac in squamulas furfuraceas decidit. Talis sæpe hujus fit insensibilitas, ut ex ea pili sine ullo ægroti dolore avelli possint, quod ipse semel iterumque observavi. Alvus plerumque

rumque est pertinaciter adstricta. Potestas urinam retinendi gradatim minuitur, eamque ex intervallis minimis ejicere ægrotus cogitur. Signa obscuræ febris hæcticæ mox percipiuntur. Pulsus citior paululum fit, volæ manuum ac plantæ pedum frequenter calefcunt, quæ signa vespere ingravescent. Noctis sub initio nonnunquam fudor prorumpere dicitur qui odorem ingratum subacidum habet. Sed corpus plerumque aridum indefinenter remanet. Æger aliquandò similem subacidum odorem ex ore emittit, simulque acidum saporem percipit.

IX. Corpus nunc rapidè emacrescit et notabilia debilitatis signa exhibet. Tumores œdematosi in variis partibus, et præcipuè in inferioribus extremitatibus oriuntur, qui manè rursus sæpius evanescent. Signa ascitis nonnunquam etiam apparent sine ullâ morbi primarii mutatione. Corpus nunc summè debile et macilentum fit, cibi appetentia gradatim minuitur, deglutitio aliquando omninò impossibilis

fibilis fit, et convulsiones accedunt, quibus tandem vita ægrotantis extinguitur.

X. Historiâ morbi breviter narratâ, quædam de mutationibus urinæ et sanguinis in diabeti-
cis, observanda veniunt. Urina enim non
quantitate tantùm, sed etiam dotibus notabili-
ter mutatur; et sanguis quoque notabiles quas-
dam mutationes exhibere videtur.

XI. Urina plerumque pellucida et sine ullo
colore apparet, sed interdum turbida, et mellis
aquâ diluti colorem referens. Hæ verò muta-
tiones in manifestis urinæ qualitatibus durante
morbo occurrentes, nullam cum ipsius morbi
ægrotove statu evidentem connexionem habere
videntur. Urina odorem et saporem subdulcem
edit, et præbet evaporatione quantitatem ma-
teriæ saccharinæ nunc solidam et albicantem,
nunc spissati syrapi (anglicè *treacle*), formam
referentem. Quantitas hujus materiæ est va-
ria. Dobson unam aliquantò amplius unciam,

ex unaquaque urinæ libra, obtinuit. Celeberrimus BLACK unciam unam et semis ejusdem materiæ ex una libra urinæ diabeticæ, in Nosocomio Regio Edinenfi, obtinuit. * In quibusdam tandem recentioribus experimentis in eodem Nosocomio institutis, æqualis circiter materiæ saccharinæ proportio reperta est †.

XII. Urina neque ebullitione neque acidis coagulatur, sed sponte suâ vinosam, acidam et putridam fermentationem deinceps subit; et quodam fermento addito, in liquorem a cerevisia tenui parùm abfimilem, potest converti.

XIII. Harum morbidarum qualitatum gradus, additione calcis vel alkali caustici, quodammodo judicari potest. Vapor enim ammoniacalis, ista additione evolutus, notabilior est pro-

B

ut

* HOME's Clinical Experim. and Histor. 326.

† Doct. GREGORY Clinicæ Prælectiones æstate 1794.— Vide etiam Doct. HOPE Clinicum Diarium. *Walker et Cunningham* Mensibus Novemb. et Decemb. 1796.

ut urina ad sanæ urinæ conditionem propiùs accedat.

XIV. Sanguis etiam diabeticorum phænomena prorsus infolita exhibere videtur. Sed illa huc usque meliùs ac pleniùs investigata non fuifse, multùm dolendum. DOBSON, sanguinem e quodam diabetico extractum, levem superficiem coriaceam exhibere observavit. Serum opacum erat, ac feri lactis (*cheese-whey*) speciem præbens. Hoc serum ipse DOBSON gustavit, eundemque saporem subdulcem edere asseruit. Sed celeberrimus HOME, in jam citato opusculo, se diabeticum serum non dulce reperisse declarat. Et clarissimus DOCTOR HOPE, eodem experimento, primùm Glasguae, et nuperrimè in Edinensi Nosocomio Regio instituto, nullum in sero diabetico ad ficcitatem evaporato, subdulcis saporis vestigium reperire potuit. * Ego ipse illud residuum gustavi, quod saporem quidem salinum

* *Cunningham* Clinicum Diarium, 25to Decemb. 1796.

linum potiusquam saccharinum mihi edere visum est.

XV. Nuperrimè verò, ingeniosissimus Doctor ROLLO †, spontaneas mutationes sanguinis e diabetico extracti, observare cupiens, quatuor uncias hujusce sanguinis aëri exposuit, paremque simul sani sanguinis quantitatem in iisdem circumstantiis collocavit. Post sex verò dies elapsos, sanguis diabeticus nullam adhuc ad putrefactionem tendentiam ostendebat, etsi sanus sanguis evidentia putredinis signa quarto die exhibuerat. Sed Doctor ROLLO etiam, sero ejusdem sanguinis gustato, illud non dulce esse putavit, etsi salivam ægrotantis subdulcem esse simul asseruerit. Hanc singularem controversiam de sacchari in sero diabetico præsentia, ulteriora tantùm experimenta dirimere poterunt. Litem verò, in posteriori hujus dissertatiunculæ parte, paulò fufius perpendere conabor.

SECTIO

* Notes on a Diabetic Case. London, January 1797.

SECTIO CADAVERUM.

XVI. Hujus morbi naturam, a phænomenis sectionibus observatis, quam minimam lucem hæctenus accepisse, confitendum. Illi enim quibus hæc phænomena observandi opportunitas occurrit, morbi causam et originem in urinaryis organis constanter quæsisisse videntur, non animadvertentes horum organorum conditionem, consequentiam, non verò ipsius morbi causam, probabiliter fuisse. Renes plerumque laxiores et solito ampliores reperti fuere, * et nonnunquam subacidum quemdam odorem emittentes. Doctor MEAD †, se semper hepar solito amplius et steomatofum reperisse declarat; sed Doctor HOME ‡ idem a se observatum negat. Mesenterici systematis amplificatio et mutatio, a Doctore HOME etiam observatæ, sola sunt for-

fitan

* Van Swiet. Comment. in Boerh. vol. 2. p. 662.

† Home's Clin. Exper. et Hist.

‡ Ibid.

fitan alicujus momenti signa quæ ex hac dissectione apparuerunt, cum nempe perturbationem quamdam in assimilationis opere indicare videantur*.

DIAGNOSIS.

* Postquam hæc scripseram, Doctor VIEUSSEUX, Genevensis, Medicus inclytus, atque observator accuratissimus, duas historiolas diabetis mihi transmittit, quibus patet, morbum aliquando connecti cum enormi durorum excrementorum in intestinis accumulatione, quæ nullis purgativis depelli possunt. Multum quidem doleo, tempus, ut et etiam hujus tentaminis limites, has historiolas, in totum prelo tradere, me non permittere. Morbus in his duobus ægris, fatalem exitum tandem habuit. Sed uno e cadaveribus aperto et examinato, sequentia notanda occurrerunt. “ Aperto cadavere,” inquit Doct. VIEUSSEUX, “ invenimus ab ano ad cæcum, totum crassum
 “ *intestinum prodigiosa excrementorum durissimorum*
 “ *quantitate* infarctum, et per intervalla contractum.
 “ Erant præterea aliquot habenæ a cellulosâ formatæ,
 “ quæ ut tæniæ, vel vittæ tensæ, intestinum complanatum
 “ diversis in locis premebant, non tamen ita ut excrementa
 “ transire non potuerint. Aperto intestino,
 “ excrementa erant valdè dura, globoso-irregularia, variæ
 “ magnitudinis in genere ut grandium nucum; minus dura
 “ in cæco. Jecur maximum. Vesica urinaria maxima, et cum
 “ vacua, magnitudine vesicæ ordinariæ cum plena est. Pulmo
 “ flaccidus; cætera sana.”

DIAGNOSIS.

XVII. Sub hoc capite nihil ferè dicendum venit. Morbus enim, a fiti, et urinæ copiâ immodicâ, profusione chronicâ, ab omni alio dignoscetur; et idiopathicus diabetes, a symptomatîcis, sacchari in urinâ præsentîâ, facillimè discerni poterit.

CAUSÆ

Ex his observationibus, Doct. VIEUSSEUX quasdam haud minimi momenti practicas conclusiones deducit. “ Certè
 “ enim,” inquit, “ in tali morbo nulla spes expectanda a
 “ methodo quam auctores in diabete suadent, tonicâ
 “ nempe astringente et sudorificâ. In primo ægro no-
 “ cuit hæc methodus, quod imprimis demonstravit ana-
 “ tome, hæ enim habenæ quæ a loco ad locum abdomi-
 “ nis porrectæ, intestina comprimebant, indicabant sta-
 “ tum inflammatorium et spasmodicum præcessisse, pro
 “ quo methodus emolliens utilior fuisset.”

His tantum addere vellem, hanc insignem in intesti-
 nis fæcum copiam, consequentiam fuisse morbi et reme-
 diorum, non verò causam, probabilius esse. In omnibus
 ferè Diabetis historiis, ab auctoribus traditis, ut et etiam in
 omnibus exemplis jam citatis quæ in Regio Nosocomio
 Edinenfi vidi, alvus astrictioni maximè erat propensa, sed
 diligenti laxantium administratione, excrementorum in
 intestinis accumulationi obstabatur.

CAUSÆ REMOTÆ.

XVIII. Nullæ ex remotis vel excitantibus causis ab auctoribus vulgò recensitis, magnam attentionem merentur, cum earum ullæ, morbo sæpius quam aliæ originem præbuisse, vix dici possint. Sed illæ causæ quæ corpus debilitant, et assimilationem alimenti perturbant, ad istum morbum producendum præcipuè conferre videntur. Tales prorsus sunt, nimia calidorum potatio, usus liquidorum cujuslibet generis nimius, et præsertim liquorum spirituorum, aquarum mineralium, &c. Frigus corpori admotum, potissimum quando præter naturam calidum, affectus animi contristantes, sicut metus, mœstitia, &c. Venus immodica, febres intermittentes, defatigatio, et aliæ hujuscemodi causæ ab auctoribus recensitæ, eodem modo, nempe debilitando, morbum producere videntur.

XIX. Notandum hîc venit Diabetem, in infirmis, frequentiùs quam in superioribus hominum ordinibus, occurrere videri; eundemque morbum, in infantiâ et senectute, multò rariùs quam in mediâ ætate, observatum fuisse.

CAUSA PROXIMA.

XX. De hujus morbi causâ, probabilis, vel verisimilis saltem theoria, non nisi nuperrimè tradita est. Plurimi ingenioso JUNCKERO duce, et alii BOERHAAVIO, morbum, sive peculiari renum actionis mutationi, sive eorundem insolitæ debilitati et laxitati, tribuendum existimaverunt. Quidam verò cum claro MEAD, in peculiari hepatis affectione ejusdem morbi causam investigare. Alii denique, haud ita pridem, a retrogato urinariorum absorbentium motu, morbi signa sese explanavisse rati sunt*.

XXI.

* Vide Dissertationem a CAROLO DARWIN, 1780 editam. Vide etiam hujus patris *Zoonomiam*, in qua eadem theoria rursus explanatur.

XXI. Nonnullæ aliæ opiniones, his forsitan minus adhuc verisimiles, de hoc morbo in apertum proditæ sunt ; sed has omnes hîc deinceps perpendere et aggredi animus non est tentare. Satis erit, si unam theoriam quæ aliis multò probabilior mihi videtur, paulò fufius exponere aufus fim.

XXII. Præclarus CULLENUS, primus credo post WILLIS, morbum generalibus, non verò localibus tantùm caufis, referendum effe prædicavit. Præcipuam nempe morbi caufam in quâdam affimilationis morbidâ mutatione quæfivit ; fed dolendum fimul, eum, paucas tantùm conjecturas de hâc theoriâ subjeciffe, eandemque adhuc valdè imperfectam reliquiffe. Clarus DOBSON verò eandem opinionem profecutus est, eamque in laudandâ jam citatâ differtatione *, etfi adhuc imperfectè, tamen multò plenius explanavit, atque novis quibusdam experimentis eandem haud parùm corroboravit.

C

XXIII.

* Med. Observ. et Inquir. vol. V.

XXIII. Sed duodecim circiter ab hinc mensibus, celeberrimus RUTHERFORD, in unâ e suis prælectionibus, naturam causasque hujus morbi, clarius luculentiusque exposuisse mihi visus est *. Vir ille clarissimus, haud fecus ac CULLENUS, morbum ex localibus tantùm causis unquam oriri posse denegavit ; atque nuperrimis et utilissimis chemiæ additamentis quam felicissimè hujus morbi phenomenis accomodatis, theoriam hùc usque imperfectissimam formâ philosophicâ magnâque probabilitate donavit. Ego autem has notiones in hoc tentamine evolvere aggressurus, non possum quin AUCTOREM veniam poscam, si qua, ab eo tam disertè tradita, indiserterè, aut parùm lucidè exponam.

XXIV. Et primùm quidem ex plurimis circumstantiis, sed præcipuè ex siti immodicâ, caninâque cibi appetentiâ, ex cutis conditione, caloris incremento, febre, vel saltem statu
veram

† Clinicæ Prælectiones, mense Maio 1796.

veram pyrexiam multùm referente, et denique mutationibus in sanguinis dotibus observatis, morbum in toto systemate, non verò in unâ vel alterâ corporis parte jacere, satis manifestè, primo aspectu apparet.

XXV. Ex his verò functionibus, quasdam ex origine, quasdam tantùm ex consensu lædi, necessariò admittendum est. Sed quæcumque sit functio quæ ex origine læditur, talis certè esse oportet qualis cum cæteris omnibus arctè consentiat et connectatur. Talis verò prorsus ea est quæ chylopoieticis visceribus perficitur, eandemque ex origine lædi haud improbabile apparet, præsertim cum alimenti vorax appetitio, atque potus immodicum desiderium, prima inter morbi signa plerumque reperiantur. Sed hanc hypothesin ulterius profèqui, eandemque cum variis morbi phænomenis connectere, difficillimum est, cum nempè varias mutationes quæ assimilationis opere in sano Corpore perficiuntur, imperfectè prorsus adhuc cognoscamus.

Novimus tantùm quædam ex alimentorum principiis constituentibus fimul jungi, alia verò separari, partim chemicâ actione fluidorum a chylopoieticis visceribus secretorum, partim forsitan ab ipsa eorundem actione. Si igitur vel istæ secretiones, vel actiones, qualemcumque mutationem fubeant, chemica chyli natura necessariò etiam mutabitur.

XXVI. Nonne igitur probabile est quandem hujusmodi mutationem in diabete occurrere, eamque a tali novâ cibi constituentium unione pendere, quali vegetalis potiùs quam animalis materia procreetur, atque magna materiæ saccharinæ proportio evolvatur?

XXVII. Hæc hypothesis jam in se ipsâ fatis verifimilis, maximam probabilitatem, ne dicam certitudinem, acquirat, si diabeticum sanguinem aliquantum materiæ saccharinæ continere, vel saltem quasdam in ipsius naturâ peculiare differentias ostendere, benè constet.

XXXVIII.

XXVIII. Harum autem conditionum, posterior ex jam dictis (XIII. XIV.) fatis demonstrata videtur. Priorem verò DOBSON præcisè affirmaverat. Sed hoc posterioribus experimentis, a quibusdam magnæ auctoritatis viris, sicut prius observatum (XIII.), denegatum est. De hac lite verò observare vellem :

1mo, Conclusionem uno positivo experimento probè confirmatam, uno pluribusve negativis experimentis omnino subverti non posse.

2do, Sæpe observatum fuisse in Diabete levissimum accidentalem febrilem paroxysmum, notabilem in qualitatibus urinæ et totius morbi statu, mutationem producere ; ideòque non impossibile esse, diversitates, in variis de sanguine diabetico experimentis observatas, a tali circumstantia nonnunquam provenisse.

3tio, Organi gustantis variam sensibilitatem, statum vel conditionem feri quod gustatur, et denique

nique modum in quo experimentum instituitur *, multum certè ad præsentiam sacchari plus minusve notabilem faciendam conferre posse.

4to, Organum gustus quasi certum in chemicis experimentis criterium, nullo modo considerari posse ; cum præsertim, sicut hìc contingit, substantia detegenda cum multis aliis miscetur, quibus ejus sapor facilè occultari possit. Objicietur forsitan eundem saporem facillimè discerni in urinâ diabeticâ quæ varia salia etiam continet ; sed innumera exempla ex chemiâ afferri possent, quibus patet eandem substantiam in quodam menstruo solutam, meliùs quam in altero qualitates suas retinere. Ideòque cum urina minus animalis quam sanguis suâ naturâ sit, vel saltem eo aquâ multò dilutior, facilè intelligi

* Sic, exempli gratia, non nihil interest, utrum serum, priusquam gustetur, evaporatum sit, an non ; utrum *serum*, propriè dictum, solummodo evaporetur, an cum eo simul coagulabilia in sero naturaliter soluta.

telligi potest cur sapor sacchari faciliùs in eâ discerni queat.

5to, Denique addi potest seri diabetici lentiorum putrefactionem (XIV.), statum sanguinis quasi magis vegetabilem denotando, opinionem saccharum in eodem præfens esse magis probabilem efficere.

XXIX. Ex his igitur observationibus, atque præfertim ex omnibus morbi circumstantiis, saccharum in sanguine diabetico majori minorive quantitate semper inesse, probabilissimum mihi apparet.

XXX. Sed si posterioribus et accuratioribus experimentis certò certius probaretur nullum saccharum in sanguine diabetico reipsa adesse; tunc etiam morbum sedem suam in sanguine habere, nihilominus putandum censerem. Nam tali modo mutari posset sanguis, ut, non ipsum saccharum, sed hujus constituentia, vel
majori

majori proportione, vel majori faltem ad unien-
dum propenfione, in illo continerentur. Neque
in tali fuppoſitione putare vellem infolitam
ſacchari in renibus ſecretionem ab originali re-
num morbo pendere, ſed potius, mutationem
in horum organorum aétione, confequentiam
tantùm eſſe ipſius mutationis fluidi in ea devecti.

XXXI. Si igitur ſerum reverà mutetur, hu-
jus mutationis cauſam in ſolis chylopoieticis viſ-
ceribus inveniemus; et ſaccharum ſic in circu-
lationem introductum in renes potiffimùm con-
vehetur eadem propenfione quâ omnes ſales,
potius per illos, quam per alia ulla excretoria
tranſeunt, cute tantùm excepta, cujus aétio, in
hoc morbo, omnino ferè ſuſpenditur.

QUORUMDAM E SIGNIS EXPLICATIO.

XXXII. Omnia quæ ſub hoc titulo dici
poſſent, fuſè latèque exponere hujusmodi dif-
fertatiunculæ

fertatiunculæ limites me aggredi non patiuntur. Quædam igitur tantùm e præcipuis signis brevissimè pervadam. Sed horum unum, imprimis notabile, urinæ scilicet mirabile incrementum, paulò fufius explicare tentabo.

XXXIII. *Sitis ; oris et cutis ariditas.* Hæc omnia a secretionē urinæ auctâ oriri possunt. Nam experiētiâ in re physiologicâ docemur, unâ secretionē auctâ, omnes reliquas pro ratâ ratione minui. Simile phænomenon observatur in hydrope ubi ob humores ferofos ad telam cellulofam, vel aliqua e cavis corporis, iusto copiofiùs devectos, os cutisque semper arefcunt. Sed præterea, hæc symptomata, hîc, ex parte certè oriuntur ex sympathyâ, a læfâ scilicet tubi alimentarii functione.

XXXIV. *Calor intestinorum gravis.* Hic partim ab eâdem causâ quâ fitis ac oris ariditas, pendere potest. Sed præterea, (ut quidam ex amicis meis ingeniofè observavit), cum expe-

D

rimentis

rimentis Celeberrimi CRAWFORD constat materiam animale[m] majorem capacitatem pro calórico habere quam vegetalis, cumque solita vegetabilis in animale[m] materiam conversio, in hoc morbo suspendatur, satis rationale videtur, partem, saltem, hujus insolitæ calórico evolutionis, huic causæ referre. Tertia hujus phænomeni causa, (sicut mox explicandum veniet), ab insolitâ generatione aquæ in pulmonibus derivari potest. Hæc verò caloris istius qui circa præcordia sentitur, potissimum rationem reddit.

XXXV. *Sudoris odor subacidus.* Ægrotantis corpus subacidum odorem sæpe redolere dixi. Hoc phænomenon naturali modo explicatur copiâ insolitâ sacchari, vel vegetalis materiæ, quæ in hoc morbo fecernitur, quâ scilicet humores omnes ad vinosam et acetosam fermentationem proclives fiunt. Talem processum extra corpus tantum perfici credi potest; sed ex halitûs eodem subacido odore, acidisque vomitionibus quæ sæpius observatæ sunt, et
aliis

aliis quibusdam circumstantiis, acidum quoddam intra corpus generari, haud improbabile mihi videtur. Materiae vomitu ejectæ accurata examinatio de hoc forsitan quandam lucem præberet.

XXXVI. *Anasarca et tumores hydropici.*
Hæc, a generali Corporis atonia manifestè oriuntur, eaque circumstantia, æque ac cæteræ omnes, Diabeten morbum totius systematis esse, validè indicare videtur.

XXXVII. *Quantitas urinæ excretæ magna ;*
Potûs copia enormis quæ ad infatiabilem sitim placandam bibitur, atque etiam probabiliter, conditio cutis quâ vix ulla exhalatio a corpore permittitur, immodicæ urinæ secretionis, ex parte saltem, rationem reddere possunt.

XXXVIII. Sed his explicari non potest quomodo fiat ut urina, ingesta pluribus libris sæpe quantitate excedat. Creditum igitur est

hunc excessum omninò derivari ex aeris humiditate a cute absorpta, et effectus unctionis* ad urinæ profluvium minuendum, quasi certum hujus theoriæ argumentum considerati sunt. Sed fuitne experimentum sæpe fatis repetitum, ut talis conclusio certo jure duci possit; præsertim si consideretur quantum quantitas urinæ, in Diabete, sæpe ex die in diem sine ullâ evidenti causâ, notabiliter mutetur? Atque si unctio talem effectum ad urinæ quantitatem minuendam reipsâ habeat, nonne verisimile est, hunc effectum, cutaneæ exhalationi, frictione restauratæ, potiusquam ullæ aliæ causæ, tribuendum esse? Sed præterea, estne probabilissimum ex ipsâ cutis aridâ ac insensibili conditione, eam ad talem enormem absorptionem perficiendam minimè idoneam esse; nisi contendatur, cutem, æque ac pergamena, duram et contractam, in eo statu esse qui actioni inhalantium

* Doct. GREGORY, Clinicæ, ac de Medicina practica, prælectiones. Vide etiam Doct. ROLLO in jam citato opusculo.

halantium vaforum in eâ patentium quam maximè faveat ?

XXXIX. Hic observare possem in hujus objectionis gratiam, Gallicum philosophum Dominum SEGUIN, in re chemicâ auctoritate dignum, omninò denegavisse ullam absorptionem a cutaneis absorbentibus, in sanâ cutis conditione, unquam perfici posse *. Sed experimenta quibus hæ conclusiones nituntur tantam accuratorem requirunt, et conclusiones ipsæ tam hypotheticæ mihi videntur, ut de eis adhuc dubitandum putem; cum præfertim, multis phænomenis accurate observatis, talem absorptionem, sicut Haller ipse afferuerat, interdum a cute exerceri, demonstratum appareat †.

XL. Potestatem

* Vide *La Médecine éclairée*, &c. Paris 1792. vol. III.

† Vide CRUIKSHANK'S *Anatomy of the Absorbent Vessels*, pag. 100.

XL. Potestatem verò cutaneorum abforbentium in Diabete non omninò suspendi, ego ipse testatus sum. Scilicet, cum diabeticum, in Nosoc. Reg. Edin. cui rheumatici dolores circa humeros supervenerant, partes oleo terebentino fricari Doctör RUTHERFORD jufferit, urina, sequente die, debilem violarum odorem redolere observata est*.

XLI. Sed experimentum sequens objectiones suprà allatas de supposito cutaneæ actionis in Diabete incremento, non nihil forsan corroborabit. Illud a digno amico meo Dno. CAPPE ex urbe Eboraco, audivi, a quo ipso fuit observatum. Æstatis tempore 1794, ægro cuidam, Londini, in Sancti Georgii Nosocomio confirmatâ Diabete laboranti, medicus quam pluribus remediis sine ullo successu adhibitis, frictiones ex unguento hydrargiri tandem præscripsit.

* *Alex. Robertson, Clinium Diarium, 8vo. & 9no. Aprilis, 1796.*

scripsit. Cutis, sicut solet in Diabete, erat maximè dura et contracta. Sed absorptio mercurii non modo facilior non evaserat, sed lenta adèd ac difficilis erat, ut continua unius horæ frictio, ad unguenti drachmæ unius absorptionem, requisita esset.

XLII. Verum enimvero, cum ipso factò constet humiditatem a corpore absorberi (xxxvi.), si ista absorptio ad cutem referri non possit, quandam aliam phænomeni causam nos quærere oportet. Clarissimus RUTHERFORD fontem hujus aquæ accessionis ex pulmonibus derivari existimat, putatque aquam non tantùm inhalari, sed reipsâ in pulmonibus generari, ex oxygenio aëris inspirato cum redundante hydrogenio sanguinis uniente *. Atque eadem suppositione, insolitus circa præcordia calor felicissimè explicari potest. Ea verò hypothesis, probabilis æque ac ingeniosa, experimenti

* Clinicæ Prælationes mense Maio, 1796.

rimenti criterio facilè submitti poffet, examinando nempè aërem a diabetico expiratum, eumque comparando cum aëre a fano homine, cæteris paribus expirato*.

RATIONES MEDENDI.

XLIII. OBSCURITAS quâ natura hujus morbi hùc ufque involuta eft, hujus curationem difficillimam atque quam maximè diverfam reddidit. Omnes igitur medendi rationes quæ in Diabete tentatæ funt, hùc enumerare animus non eft. Totam enim Materiam Medicam ferè

* Sectio cadaverum etiam in hanc hypothefin quamdam lucem conjicere poffet. Doctorem RUTHERFORD sæpe dolentem audivi, fibi ipfi, nullam opportunitatem phænomena in Diabete poft mortem obfervandi, unquam occurriffe. Vafa lactea fcilicet, accuratè examinari vellet, quippe qui ea amplificata et mutata, et quafdam etiam mutationes in pulmonum ipfâ fabricâ, repertum iri valdè fufpicetur.

ferè comprehendunt, et ullum ex his innumeris medicamentis, felici unquam, et perfecto successu adhibitum fuisse, vix dici potest. Stimulantia et sedativa, astringentia et relaxantia, incrassantia et diluentia, septica et antiseptica, tonica, antispasmodica; sed præsertim cathartica, sudorifica, et emetica, deinceps, a variis medicis, variisque consiliis, adhibita sunt. Cantharides, renes stimulandi causâ, frequenter etiam præscriptæ sunt. Præter hæc, exercitatio, frictiones, balneum vel calidum vel frigidum, et quædam alia hujusmodi remedia, interdum cum quadam momentaneâ utilitate tentata sunt.

XLIV. Ex his tam diversis, atque ferè sine ullo consilio adhibitis, systematica sanandi methodus nunquam formari poterat. Opium, ad quædam e symptomatibus levanda, utile ferè semper repertum est. Astringentia, et præsertim alumen, aqua calcis, et quædam alia, sæpe etiam utiliter adhibita sunt, et non-

nulli morbum his curavisse putaverunt. Sed æger plerumque post quoddam tempus relapsus est, et Celeberrimus GREGORY, cui plurimæ opportunitates hunc morbum observandi occurrerunt, dubitat num morbus unquam perfecte ac permanenter curatus fuerit.

XLV. Clarissimus RUTHERFORD, ex principiis suprâ positis (XIX.), ad totius systematis robur ac vigorem restaurandum, et ad organæ digestionis speciatim tonum restituendum, conatus suos præcipuè direxit. Hunc in finem, corticem peruvianum, præparata ex ferro, aloë, et quædam alia hujusmodi tonica, cum evidenti utilitate administravit, et semel morbum omninò depulit.

XLVI. Sed possumusne ulterius paululum progredi, atque morbidæ actionis effectibus obstare, quamvis hujus actionis causam ignoremus? Et hoc consilio, licetne, formationi sacchari obstandi causâ, constituentia vegetabilis

bilis materiæ a cibo amovere, atque principia animalis materiæ largè simul suppeditare; vel, aliis verbis, ea alimenta vitare quæ præfertim ex carbonio et hydrogenio cum insigni oxygenii proportionem constant, simulque systemati copiosè dare, ea quæ azotio scatent*.

E 2 XLVII. Cibus

* Vix necesse est hic in mentem revocare, omnia vegetabilia, atque immensam varietatem productorum quæ ex eis obtinentur, ad pauca tantum principia constituentia, analyfi reduci posse, hydrogenium scilicet, oxygenium, et carbonium. Hæc tria omnibus vegetalibus communia sunt et in omnibus præcipuè abundant; sed ex eis quædam parvam proportionem azotii et phosphori, etiam analyfi præbent. Hæc, in variis proportionibus, totum regnum vegetabile constituere videntur.

Principia constituentia substantiæ animalis, haud multum ab illis genere differunt, sed azotium, in animali regno, multò magis quam in vegetabili, abundat. Hinc proprietas quâ substantia animalis gaudet magnam proportionem ammoniæ et fætidissima producta ignis actione evolvere. Hinc etiam illius major ad putridam fermentationem propensitas, &c.

Quædam

XLVII. Cibus animalis, ad hunc finem at-
tinendum, aptissimus primo aspectu apparet.
Celeberrimus HOME *, cibi *animalizationem*
promovendi consilio, ostreis quotidie diabetico
datis, quantitatem urinæ quidem minui obser-
vavit, sed pro tempore tantùm, et morbum
hoc regimine ex toto depellere desperavit.
Clarissimus etiam DUNCAN, viginti circiter ab
hinc annis, in Nosocomio Regio Edinenfi, ob-
servavit, diabeticum, ex usu carnis adiposæ,
butyri et aliarum rerum oleosarum, notabile
levamen obtinuisse, hocque, ab eo tempore,
in suis prælectionibus clinicis, sæpe commemo-
ravit.

XLVIII. Sed Doctor ROLLO longè pleniori
ac feliciori successu hoc regimen profecutus
est,

Quædam verò vegetabilia animale[m] substantiam na-
turâ multùm appropinquant. Talia sunt ea quæ genti
cruciformi pertinent, et præsertim omnes fungi.

* Clin. Exper. et Hist.

est, atque in solâ diætæ regulatione, remedium huic morbo, huc usque ferè pro insanabili habito, inveniendi gloriam adeptus est. Primam ipse hujus remedii detectionis historiam nuperrimè in lucem edidit*, ideoque hanc brevissimè tantùm exponere mihi opus erit.

XLIX. Omnia cujuslibet generis vegetabilia ægroto denegata sunt, nec pane, nec vino, nec etiam cerevisiâ exceptis, hisque carnes ex toto substituti sunt. Urina verò post duas septimanas, quantitate notabiliter minuta est, atque qualitatibus prorsus ferè naturalis apparuit. Vegetalis cibi usus, post quoddam tempus, gradatim, impunè resumptus est, et æger ad hanc diem morbo perfectè incolumis remansit. Doctor ROLLO præter animale regimen, duobus tantùm remediis usus est, scilicet *kali sulphurato*, et *ammoniâ hepatizatâ* quam nuper in medicinam Dnus. CRUIKSHANK introduxit. Sed hæc

* Notes on a Diabetic Case, London January, 1797.

hæc remedia, posterioribus experimentis, nullius specifici auxilii in hoc morbo esse visa sunt, neque ad curationem necessaria.

L. Ammonia hepatisata insigni narcoticâ et sedativâ potestate gaudere videtur; vertiginem scilicet, somnolentiam, nauseam et vomitum inducens, atque cordis et arteriarum actionem minuens*. Hinc Doctor ROLLO probabile esse
putat,

* Dosis hujus medicinæ extendi potest a 12 ad 20 guttas in die, sed cautè, tantùm, et gradatim augeri debet. Modus quo præparatur, a Doctore ROLLO (*Notes on a Diabetic Case*) sic describitur:

“Hepatised ammonia, is very easily prepared by
“making a stream of pure hepatic gas pass through the
“Aq. Ammon. pur. (Ph. Lond.) until no further absorption is perceived, or until the alkali is saturated.
“The hepatic or sulphurated hydrogen gas should be
“obtained for this purpose from artificial pyrites and
“the muriatic acid.”

Quibusdam verò experimentis nuper patuit, ammonia
niæ

putat, hoc remedium, eodem modo quo opium, in hoc morbo prodesse, actionem nempe ventriculi, et totius systematis energiam, minuendo. Sed hæc opinio, quæ appetitûs auctione præcipuè nititur, validissimis objectionibus obnoxia mihi videtur. Quomodo, verbi gratiâ, hæc suppositione, explanari possent notabilia signa dyspepsiæ et debilitatæ digestionis quæ in

niæ hepatifatæ effectus, levissimo errore in illius præparatione, multùm mutari. Sequentes autem cautiones, ad hujus medicinæ accuratam præparationem, ab ipso Doctore ROLLO, literis mihi nuper scriptis, commendatas, verbatim hîc referam :

“ The preparation is simple, but I fancy the mistake
“ lies in the artificial pyrites, which must be thus ob-
“ tained. Raise a piece of iron in a smith’s forge to a
“ white heat, and then rub it against the end of a roll
“ of sulphur, the iron at this temperature, immediately
“ combines with the sulphur, and forms globules of py-
“ rites, which should be received into a vessel filled with
“ water ; those globules are to be reduced to a powder,
“ and introduced into the proof, to which a sufficient
“ quantity of muriatic acid is to be added.”

in Diabete sæpe occurrunt, et quæ, ut ipse auctor commemorat, (*Notes on a Diabetic Case, p. 9.*), talia interdum sunt, ut æger post plures dies alimenta immutata et indigesta evomat? Et præterea, cum generalia debilitatis signa morbum semper comitentur, cumque astringentia et tonica, præ omnibus aliis remediis, in eo utilia reperiantur, probabilissimum mihi videtur, morbidam conditionem ventriculi, ab auctâ hujus organi actione non pendere, sed illius morbidæ actionis naturam adhuc ignorari, ideoque utilitatem sedantium remediorum, aliâ quâdam causâ, potius explari debere.


LI. Diætæ animalis efficacia in Diabetis curatione, quam primus Doctor ROLLO, in opusculo sæpe jam citato, demonstraverat, nunc pluribus recentioribus experimentis, five ab eo ipso, five ab aliis medicis institutis, confirmatur. Experimenta scilicet in Glasgow, in Liverpool, et in Edinenfi Nosocomio Regio nuper instituta

tuta sunt, in quibus omnibus, salutares effectus quos Doctor ROLLO diætæ animalis tribuerat, magis minusve observati sunt. Sed hæc experimenta et historiolas, hic clarus medicus, sicut ab eo nuperrimè accepi, ipse jam collegit et publici juris mox est factururus. Ipfius igitur scriptis, lectorem referre melius erit, simulque huic dissertationi finem tandem imponere.



THE HISTORY OF THE

... of the ...
... of the ...
... of the ...
... of the ...
... of the ...
... of the ...
... of the ...



... of the ...
... of the ...
... of the ...
... of the ...
... of the ...
... of the ...
... of the ...